

bile, à cerebro ad locum illum, aut potius ut porrus: quod non est adeo inconueniens, cùm à natura hoc modo fiant in pueris.

*Prognosticum.* Si vult seruare exquisitam victus rationem, spero quòd curabitur.

Curationis autem huius affectus, quo affligitur hic vir, potissimum fundamētum est, vt prohibeamus materiam, ne distillet: hoc verò neutiquam facere possumus, nisi membris mandantibus prospiciamus, ita quòd tota ratio curę consitiat in eo, vt membra corroborentur, hepar scilicet, ventriculus & cerebrum, ne generentur excrements in corpore. Quod maximè fiet recta ratione victus, in qua quidem cùm multipliciter delinqui possit, in aere, cibo, potu, & reliquis: ideo curabit ut sibi viuat, & non aliis, quare non amplius peregrinabitur. Obseruata recta victus ratione bis in anno purgabitur ad hūc modum:

R. Specierum hieræ simpl. 3. ij.

Cassiae 3. j.

Fiat bolus, detur ante prādium hora vna. Postea vtatur septem vicibus infra scripto syrupo:

R. Syrupi de stœchade,

De infusione rosarum ana 3. j.

Decoctionis fœniculi

Anisorum

Rosarum 3. iiii. Misce.

Sumat deinde infra scriptam medicinam.

R. Pillularum cocchiarum 3. iiii.

Cum melle rosato fiant pillulæ, quas sumat manè cum custodia. Temporibus intermediis. Interdum vna hora ante cœnam sumat tres infra scriptarum pillularum:

R. Aloes optimæ

Agarici electi ana 3. iiii.

Myrobalanorum chebolorum 3. ij.

Nucis muscatæ 3. j.

Puluerizentur & commisceatur, deinde aspergitur cum succo rosarum, & permittatur excari: postea cum melle rosato fiat magdaleon, de quo fiat pillulæ pro 3. iiii. vel sumat pillulas de hie rā simp. solas, vel cum rhabarbaro aloe: in hyeme vero pillulas de tribus. Vtatur pro masticatorio sola mastiche tunc, cù corpus exquisitissimè fuerit purgatum. Nisi enim id fiat, nūquam ego conseruarem masticatoria, maximeq; in hoc corpore in quo gingiuæ sunt paratæ ad suscipiendas fluxiones. Ideo diuersiones potius fiant ad partes posteriores frictionibus & ventosis. Pro conformatione infra scripto remedio vtatur:

R. Tutiæ optimè præparatæ,

Corticum ouoruim puluerizatorum,

Aloes optimæ ana 3. j.

Inuoluantur in panno lineo, & fiat pila. Infundatur in aqua fœniculi, suspensa cum filo: Postea sæpe in die exprimatur ea pila in oculos, vel sola aloe puluerizata in aqua rosarū posita, quæ roboret, abstergit, & purgat oculos ut ventriculum. Si verò perseveraret mala dispositio oculorum, & sentiret se non leuari cù re medii supra scriptis, fiat cauteria & fontanellæ in vtroq; brachio supra cubitum, per spacium quatuor digitorū parte exteriore, tenedo semper aperta cum pila cerea, sicut solet fieri. Corroborentur autem

A membra, hepar, ventriculus, & caput: inter reliqua maxime laudo zuccharum rosatū, quod videtur esse proprium morbis vetriculi & hepatis: abstergit enim, corroborat caput, & prohibet ascēsum vaporum. Habet decoctum ex malo granato, balaustiis, rhu obsoniorum, hypocistide, & similibus in vino, quo os abluatur. Caput etiam corroboretur calefacentibus, aspergendo ei pulueres, tum etiam decoctis factis ex maiorana, chomilla, agarico, & cum sapone confecto cum agarico, abluendo caput vesperi, & postea domo non egrediatur. Caput purgja hīc quoq; conueniunt, quibus etiam Gal. in morbis oculorum vtitur. Quòd si aliquis dicat hoc esse malum factum, quòd diuertamus materiam ex cerebro per locum affectum: is aduertere debet, quòd tunc hoc licet facere, quādo exquisitissimè corpus est purgatum: quam exquisitissimam purgationem, nisi præsupposuisse ante ab eo fieri debere, nunquam ei masticatoria proposuisset: gingiuæ enim etiā habet paratas ad fluxus, neq; tuta essent caput purgja: diuersiones potius fierent ad partes posteriores, cù frictionibus & curbitulis siccis in dorso. Sed his non iuuantibus, postremò (vt iam monuimus) ad cauteria erit configiendum.

### CONSILIVM CIX.

*Pro muliere laborante morphæa in facie.*

### D. CRASSVS.

**N**O BILISSIMA mulier patitur defœdationem in fronte, quæ descendit infra oculos, & occupat partem aliquam faciei, à Nouembri vsq; in hunc mensem Aprilis. Credo eum esse morbum, qui Græcis ἄχει dicitur, & prouenit à quouis humorum malorum, qui iustus sanguini corruptit eum, & à natura inde ad cutim expulsus, eam vitiat. Euacuatum hactenus est corpus secunda vena, datum postea rhabarbarum ex infusione, nec tum mitigatus est morbus, sed potius exacerbatus. Applicata quoque localia sunt extrinseca, quæ exiccent, & roborarent, nihil profuerūt, ita vt videatur melius habere, cùm nihil exhibeatur. Vnum est mirabile in hac muliere, semper enim augetur morbus, cùm patitur suos menses.

### MONTANVS.

**F**Si volumus aliqua afferre remedia huic dispositioni præter naturam, qua laborat nobilissima fœmina, oportebit prius diligenter videre ipsam dispositionē, à quibus causis pēdeat. Et licet ego atque non viderim, tamē ex hac accessione, & ex dictis vestris, potui intelligere naturam huius defœdationis esse talē: Color subalbidus est, cù nigredine quadam, ita vt color cineritius ex albo & nigro compositus sit. Quod ad substatiā, habet abscessum, & vlcus est ex materia adusta, ac sicca: quòd si scalpatur profundius, sentitur humiditas emanās. Abscessus satis magnus est, sed aliud aduertendū, serpit, & dilatatur per longum & latum descendendo. Habemus igitur absces-